



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De inclusa, quae daemones vidit super scapulis monachoru[m] de Porceto
cap. 50.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

byterium, in loco vbi monachi in viam exeuntes & redeuntes solent prosterni: qui dum caput retorqueret, & huc illucque conspiceret, in vocem humanam erupit, dicens: Non curetis licet modò sint firmi, ego egrediar, & iterum post modicum reuertar, sicque contuente egressus est. Huius visionis frater Richardus testis est, qui eam ab eius ore audiuit. Iste est Hermannus, qui vidit coram Henrico Fikone amphoras cum vino & vrsum, sicut dictu est distinctione quarta cap. 91. APOLLONIVS: Cùm diabolus huiusmodi bestiarum formas ad nostram infestationem assumat, puto quòd turpiter contentientibus illudat. CAESARIVS: Hoc est certum.

CAPVT L.

Inclusa quædam admodum religiosa Aquisgrani manet, satis mihi nota, cuius nomen supprimo, ne ei causa fiam persecutionis. Hæc ante reclusionem, cùm adhuc esset in ætate puellari, & in habitu sæculari, religiosa tamen, in humeris & in scapulis monachorum de Porceto deambulantium in oratorio dæmones in formis simearum atque cattorum residere conspexit. Et, quia quosdam ex illis iam per consensus vitiorum captiuos tenebant, ad quemcunque locum siue personam fantasmata respiciebant, monachorum oculi sequebantur, & secundùm leuitates illorum, gestus istorum formabatur. Vidit adhuc, quod horribilius erat, quosdam ex illis canes magni & terri antecedeabant, ita vt catenæ, quæ in eorù collis videbantur, etiam colla monachorum ambirent, quibus ad sua ludibria illos trahebant. APOLLONIVS: Heu quòd homines ad imaginem & similitudinẽ Dei creati, & dignitate ordinis etiam hominibus maiores effecti, qui spiritibus immundis imperare debuerant, ab ipsis propter malam vitam tã viliter illuduntur. CAESARIVS: Hoc est quod Psalmista conqueritur, dicens: *Psal. 48.* Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. APOLL. Videtur mihi ex supradietis, quòd quandoq; homo

Psal. 48.

homo diabolo det materiam tentandi. CAESARIVS:
Hoc verum esse, vno tibi ostendam exemplo.

CAPVT LI.

S Tabat aliquando conuentus de Hemmenrode
in horto, plantarium caulium terræ infigens;
stabat & monachus vnus cum cæteris Thomas
nomine, cui talis cœpit cogitatio suboriri: Si modò
esses in domo patris tui, ancilla tua non dignaretur
tam vilissimum opus facere. Exiuit ergo de medio
fratrum cum indignatione, illuc eum ducente spiritu
superbiæ, vbi fortius eum posset impugnare. Cùm er-
go in silua solus esset, tentator adfuit, & qui priùs so-
la cogitatione pulsauerat, nunc aperta impugnatione
& visibiliter aggreditur. In specie namque mu-
lieris apparens, cœpit alloqui eum. At ille digitum
superponens ori suo, significauit non licere loqui si-
bi. Sed mendaciorum omnium caput & pater ilico
per mulierem illam fantasticam, quam effigiauerat
ad deceptionem, respondit: Quid hoc sit, inquit, ne-
scio, ego venio de cōuentu, & Prior dedit mihi licen-
tiã vt loquerar tecũ. Credidit ille, & locutus est. Tunc
illa asseruit parentes ipsius misisse pro eo, & oportere
eum Treuerim ire secum ad emendum equum, & sic
transire in terram suam. Præcedendo igitur misera
miserum ducebat, ipsa quidem frutetorum omnium
cõdensa sine impedimento transiens, ille verò cum
magna difficultate sequebatur. Tandem asperitate
itineris & laboris turbatus, in nomine, inquit, Patris
quomodo sic imus? Quo dicto, maligna illa mulier
citiùs euauit. Et cùm cæli esset serenitas magna, ea-
dem hora circa eum facta est tempestas & pluuia, ip-
sumque madefactum exterius interiùs confusum re-
misit ad conuentum. Confessus postea est, quòd quã-
diu cum muliere illa deambulabat, maximam carnis
titillationem habuerat. APOLLONIVS: Puto quòd
fuerit spiritus fornicationis. CÆSARIVS: Iustè moue-
ris: sæpe enim peccatum peccato punitur, & per lap-
sum carnis superbia mentis in multis humiliatur.
Inde habes plurima exempla in vitas Patrum. APOL-

*Homines
interdũ
præbere
Diabolo
materiã
tentandi.*